Mathias filius Joannis huniadis sive Vaiuode e Vetusta romanorum gente Coruina (ut ipse iactitabat) originem trahens. mortuo ladislao opera Georgij Pogebrati ex Austrie custodia liberatus. ac in Bohemiam ductus a procerum senatu apud Pestem coacto rex Declaratur. Michaele zilagi eius Auunculo & armis & eloquencia instante: ac patris merita commemorante. Qui Inito regno. 6. annis continuis contra fredericum 3. Bellum gessit. qui pro iure suo pannonie regnum sibi Venditabat &c. Nemo enim ante eius tempora tantum turcos terruit: pannonesque ac Walachios domuit. Septem Iugiter annos contra hereticos Bohemos Dimicauit: post georgij regis mortem (cuius filiam duxerat) in Bohemie regem electus: Hic enim quoddam Castrum Turcarum Sabaez nomine fortissimum media Bruma expugnauit ac cepit: Defuncta prima coniuge: Duxit Beatricem ferdinandi scicilie regis filiam Demum cum 30 regnasset annis sine prole defunctus est.